

bus, ipsi noua eiusdem generis poëmata pangere instituerent oratione sui quisque saeculi, antiqua carmina intacta relinquerent, quo videret posteritas, quae fuisset aetate quaque Graeci Latini que sermonis facies: neque Grammatici et Critici veteres fuere ita insolentes et temerarii, vt e carminibus poëtarum Graecorum glossas Atticas, Ionicas, Doricas, eiicerent, earumque in locum verba vulgaria substituerent. Certe versiculi Anacreontis illi, qui ab Athenaeo, Hephaestione, aliisque, laudantur, pleni sunt omnibus orationis Ionicae vestigiis. Haec vero quum fere nusquam compareant in iis Odariis, quae a Stephano emissa sunt: quis non recte dubitet de antiquitate eorum? quis sibi persuadeat, ea esse ab Anacreonte composita? praesertim quum in multis eorum legantur eiusmodi verba, quae ignoraverit aetas Anacreontis; multis verbis eiusmodi significatus tributi reperiantur, qui iis tributi fuerint post eius tempora. At in primis venusta, inquires, et dulcia et lepida sunt haec Odaria: qua virtute et dote excelluisse Anacreontis Carmina, scriptores antiqui omnes, vno consensu, tradiderint. Ego quidem non ignoro, Anacreontem laudari a veteribus, vt

b aucto-